Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35497
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

berata facie intendere in divinum splendorem ut videat
deum in hac vita sicut est nisi prius ab omnibus visibilibus
similitudinibus quibus indiget ad cognitionem moriatur. Sic
quod intelligere quandam mortem fantasmatum que nobis occurrunt
cum de deo cogitare volumus puro ac revelato aspectu in-
tueatur radium infallibilis veritatis. Sic palatum cordis appli-
care possumus in occultum saporem divine bonitatis ita ut nul-
la delectacione impediente mundo purgato affectu toto cor-
de tota anima tota virtute sapiat et gustet quam suavis est
dominus merito Amen. Explicit septima pars o-
racionis et incipit unicum octave partis capitulum.

Quid est languor et quod unum accidit languori scilicet sus-
piracio et de septem signis per que languentes in amore dinoscuntur.

Languor quid est, pars oracionis qua faciem spe-
cialius conditoris per vocem incognitam mens langue-
do suspirat. Languori quot accidunt, unum quod
suspiracio tantum. Dicto superius de mortificatione hominis
interioris dicendum est modo de visione hominis interioris languo-
re. Suspiratione suspirat anima ad deum cum cor ab omni
carnalitate separatur et ab omni affectu illicito purgatur et de-
puratur, cui solus deus sapit, cui totum desipit quod non sit
ipse. In huius figura dicitur de nathan in eccl. Surrexit na-
than propheta quasi adeps separatus a carne. Per nathan
signatur cor dono gracie impinguatum. Nathan enim donum do-
num gracie interpretatur. Adeps pinguedo est interior, interiora
iecoris renes operiens per quam perfecte caritatis languor de-
signatur. Hec est pinguedo inebrians cor a mundo penitus
alienans, de qua dicit dominus per prophetam: Inebriabo animas
sacerdotum pinguedine. Hic est nathan id est animus dono ce-
lestis dilectionis impinguatus. Adeps appellatur separatus